



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Ecclesiasticae Historiae, Et Dicta, Inprimis Memorabilia,
Christi, Apostolorum, Martyrum, Confessorum, Doctorum,
& hostium veteris Ecclesie: singulari iudicio, & pio studio,
ex Eusebio Cæsariensi ...**

Eusebius <Caesariensis>

Haer. Chr. Egen., 1571

VD16 E 4284

Epigrammata.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69335](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69335)

EPIGRAMMATA.

I. Hostes & arma Christianorum.
Ephe. 6. capite.

Hostes Christicole qui sint, quæ militis arma,
 Quis dux, vincendi quæ ratio atq; modus.
 Quisq; sit armorum, quis sit muniminis vsus,
 Hæc breuiter Pauli pagina sacra docet.
 Est hostis Sathanas, nigri sunt agmina Ditis,
 Sunt mundi domini, sunt Erebiq; duces.
 Qui veluti muscæ volitant nos vndiq; circum,
 Quæ cælum, tellus, quæ mare cunq; patet.
 Induit antiqui cataphracti ab imagine nota
 Inclyta qui Christo militat arma viro.
 Concaua contexit caput egis, militis olim
 Munibat thorax pectoris inde sinum.
 Baltheus hinc lumbos constrixit firmus vtrosq;
 Strictis post ocreis tibia tuta fuit.
 Est aptum pedibus munimen calceus imis,
 Quo tecti faciles ingrederentur iter.
 Armabat dextram gladius, scutumq; sinistram,
 Armatus quondam sic cataphractus erat.
 Militis ad formam iubet hanc quoq; Apostolus esse
 Munitum Christo qui meret ære virum.
 Sit galea eternam præseruans certa salutem,
 Iustitiæ thorax pectora sancta tegat.

Baltheus

*Baltheus vt munit lumbos, sic dogmata vera
 In Christo possunt constabilire fidem.
 Et fidei scutum, poterunt quo ardentia ditis
 Extingui subito spicula saua mali.
 Sint q₃ pedes tecti, lata quo nuncia pacis
 Orbis per vasti climata ferre queas.
 Christicolis belli dux est, quo demonia vincunt,
 Christus, in hoc superat quae mala cuncta premunt.
 Est modus, est ratio vincendi, his vtiis armis,
 Fundere & ad dominum vota preces q₃ Deum.
 Et studio vigili peccata cauere, maligno
 Ne demus contra nos male agendo locum.*

2. PRECATIO CONTRA
 Diabolum, ad Christum,

*Tu bone nos contra sauum defendito Christe,
 Hostem, qui miseros ceu leo toruus adit,
 Quem voret abreptum, quaeuens quem trudat ad Or-
 Hunc contra imbellis te sine turba sumus. (cum,*

3. IN DICTVM D. PAVLI,
 I. Timoth. I.

Certus sermo & dignus, quem modis o-
 mnibus amplectamur, quod Christus
 Iesus venit in hunc mundum, vt pecca-
 tores saluos faceret, quorum primus sum
 ego. Verum ideo misericordiam adeptus
 sum,

sum, vt in me primo ostenderet Iesus Chri-
 stus omnem clementiam, ad exemplar expri-
 mendum ijs, qui credituri essent in Christo
 Iesu, in vitam aeternam.

*Certus hic est sermo, certum praestansq; leuamen,
 Sarcina peccati quem grauat vsq; sui.*

*Omnibus ergo modis dignus reuerenter vt illum
 Accipiant omnes non dubitante fide.*

*Vt peccatores saluet descendit in orbem
 Christus, quos fueram maximus inter ego.*

*Ast Deus ipse mei summa est bonitate misertus,
 Condonans clemens crimina cuncta mihi.*

*In me quo primo bonitatem ostenderet omnem
 Clementem Christus, summaq; dona Deus*

*Testes, vt in Christum credit quicunq;, habiturum
 Aeterna vitæ gaudia vera fide.*

4. DE MORTE CHRISTI, E-
 iusq; beneficijs, & applicatione
 eorum per fidem.

*Aeternus summo nostri commotus amore,
 Aetherea gnatum misit ab arce Deus.*

*Gnatus vt hic nostra pro culpa victima pendens
 In ligno soluat massa cruenta λύτρον.*

*Quanta sit ira Dei nos contra, quantus amorq;
 Testatur gnati morstruculenta Dei,*

Ira

*Ira Dei est ingens, quam non nisi victima gnatus
Aeterni potuit conciliare Dei.*

*Summus amor patris nos erga lucet Olympo,
Gnatum quod mittit pro bonitate suum.*

*Summus amor gnati nos erga lucet in orbe,
Innocuus nostrum quod luit ipse nefas.*

*Hoc quicumq; pius credit, certam ipse salutem
Consequitur felix iustificante fide.*

» *Ingentes igitur toto tibi pectore grates*

» *Dicimus hac summa pro bonitate Deus.*

» *Da rogo cum sensus morientibus excidit omnis,*

» *Mors tua letalis sit medicina mali.*

» *Da tibi fidamus soli tua vulnera Christe,*

» *Ultima sint nostrae mortis agone salus. Amen.*

ἄδ' κλον IN MORTEM CHRISTI.

*Mors mortis morti mortem ni morte dedisset,
Caelorum nobis ianua clausa foret.*

5. BREVIS OPERVM CHRI-
sti summa.

Iratum vt nobis patrem placaret, Olympo

Descendit gnatus virgine natus homo.

Chirographa assidue nos accusantia legis,

Affixit moriens dilacerata cruci.

Et Stygios vicit surgens de morte tyrannos.

Ne possent contra nos valuisse truces.

Hinc

*Hinc clarum rursus conscendens aethera, nobis
 Restituit vitam iustitiamq³ nouam.
 Munera per totum nunc haec denunciat orbem,
 Dum verbi spargit semina sacro sui.
 Quisquis ab hoc domino veniã certamq³ salutem
 Expetit, est saluus iustificante fide.*

6. IN DICTVM GAL. III.

AT vbi venit plenitudo temporis, emi-
 fit Deus filium suum factum ex mulie-
 re, factum legi obnoxium, vt eos qui
 legi erant obnoxij, redimeret: vt adoptione
 ius filiorum acciperemus.

*Tempore completo gnatum demisit ab alto,
 Aeternus summa pro bonitate Deus.
 Gnatum de casto muliebri sanguine, vt esset
 Pro nostro legi crimine in orbe reus.
 Innocuus factus maledictum, vt solueret illos,
 Quos merito mortis lex facit esse reos.
 Quo ius natorum nati huius nomine chari,
 Amissum nobis redderet ipse Deus.*

7. IHETRO AD MOISEN MO-
 nens eum, vt in difficili gubernatio-
 ne populi collegas sibi adhi-
 beat. Exod. 18.

L

Multarum pressum curarum mole, monebat
 Sic Moſen ſocerum ſanctus Ietro ſuum:
 Quid tibi curarum molem, quid pondera ſoli
 Imponis, centum vix toleranda viris?
 Ergo tibi ſocios curarum quare fideles,
 Qui tecum partem ſuſtinuiſſe velint.
 Qui timeant Dominum, fugiant mendacia vana,
 Munera nec ſpectent diuitiasq; leues.
 Hac ſibi dicta putet, quibus eſt data cura regendi,
 Et cupiunt populo conſuluiſſe ſuo.

8. DE INCERTITVDINE ET
vanitate gaudiorum mundi.

Gaudia dic mundi quid ſunt, niſi ſomnia vana,
 Dic homo qui Baccho nocte dieq; mades?
 Deliciae pereunt, cantus, ſaltatio, luſus,
 Et pereunt Cypriae gaudia grata Deae.
 Diſſluit vnguentum, ſerta & conuiuia luxus
 Quid iuuat? immenſo durat in orbe nihil.
 Omnia ſunt vmbrae, ſomnus, ludibria vana,
 Gaudia ſunt inſtar cuncta fluentis aquae.
 Gaudia ſunt mundi carnis viſusq; voluptas,
 Et faſtus vite luxuriansq; Venus.
 Omnia quae pereunt cum ſtulto gaudia mundo,
 Non veram praestant tempore mortis opem.
 Gaudia ſunt mentis vera haec, quae ſpiritus almus
 Ex vera accendit cognitione Dei.

Hæc

*Hæc pete, quæ æthereo sine fine sequentur Olympo,
Gaudia quæ capient post sua fata piæ.*

9. DE REGNO ET SACERDOTIO
Christi spirituali & æterno, in dictum
Zachariæ 9. Ecce rex tuus venit
tibi mansuetus.

*Est Christus summus noster rex atq; sacerdos,
Nobis qui summus munera summa tulit.
Est regis munus, populo regnoq; benignam
Hostibus euictis ferre salutis opem.
Hæc habuit legis veteris sibi terna sacerdos
Munera, qui summus præses in æde fuit.
Sacrificet Domino, pia tradat dogmata plebi,
Ad Dominum faciat vota precesq; Deum.
Munera quæ Christus cœlesti missus ab arce,
Omnia pro nobis gessit in orbe Deus.
Hostibus à sæuis dura nos morte redemit,
Peccato, letho, tartareoq; cane.
Ad patris claro residens nunc æthere dextram,
Hostes quos contra nos iuuat atq; regit.
Æterni mentem docuit nos patris, & orans
Pro nobis patrem vota precesq; facit.
Post etiam sanctum pro nobis se obtulit agnum,
In ligno pendens victima grata Deo.
Est semel oblatus pro nobis victima Christus,
In ligno soluens debita λύτρος patri.*

*Sed rogat aeternum pro nobis vsq; parentem,
Et seruat verbi dogmata sancta Dei.*

10. **DISTINCTIO PERSONARUM**
diuinitatis, & singularum
officium, seu opus.

*Est pater aeternus fons rerum primus & autor,
Verus & omnipotens ingenitusq; Deus.
Qui genus humanum summa bonitate recepit,
Condonans culpam demonis atq; dolos.
Filius aeterni genitus de mente parentis,
Splendor & effulgens patris imago Dei.
Hic nostra sumpta casta de virgine massa,
Morte sua λύτρωσιν crimina nostra luit.
Spiritus est flatus patris natiq; benignus,
Procedens vero verus vtroq; Deus.
Mentibus hoc missum nostris spiramen ab alto,
Conformes vero nos facit esse Deo.*

II. **DE PASSIONE DOMINI.**

*Innocuus moritur mundi pro crimine Christus,
Sponte sua patiens vulnera, probra, necem.
Iusserat hoc ordo nostra ratioq; salutis,
Non aliter poterat vera redire salus.
Nanq; Deus nostris offensus saepe nephandis
Criminibus, dignum postulat ipse λύτρωσιν.*

Hoc

*Hoc hominum nemo potuit persolvere λύτρον,
Criminis est proprij quilibet ipse reus.*

12. DE LIGNO CRVCIS CHR-
sti, quo peccatorum nostrorum o-
nus ipsi fuit grauius.

*Quam gerit exhausto molē sub corpore Christus,
Eductus Solyma non leue pondus erat.
Ast onus est culpa magis importabile nostra,
Quam grauis impositus corpore stipes erat.*

13. QVERELA CHRISTI PSAL.
22. Deus meus, clamo per diem, & non
respondes: etiam nocte non
fileo.

*Quotidie mæsta quamuis mea tristia voce
Conqueror & doleo, non meliora fero.*

14. GRATIARVM ACTIO
ad Christum.

*Christe tibi meritas agimus mitissime grates,
Morte tua est nobis quodd reparata salus.*

15. CONFESSIO ET FIDES DE
vera essentiali & corporali præsentia
& sumptione corporis & san-
guinis Christi in cœna
ipsius.

Vera caro nobis Christi sanguisq; sacratus
 In cœna dantur, non dubitante fide.
 Hac quicumq; fide accipiunt, sunt membra, ma-
 Inserti miro fœdere Christe tibi. (nentq;
 Nil sapit hîc ratio sapientum cœca videtq;
 Difficile est Christo, quod volet ipse, nihil.
 Qui verbo condit, verbo seruatq; creata,
 Non minus omnipotens hic Deus esse potest.
 Quod iubet hoc facito, quæ dicit credito, Christus,
 Non quenquam fallunt verba verenda Dei.

16. IN ORATIONEM DIVI
 Augustini libro Meditatio-
 num. Capit. 10.

Concede mihi Christe ita custodire, re-
 gere & finire vitam meam, vt in pace
 obdormiam & in te requiescam.

ITEM HIERONYMI IN
 agone mortis.

Certè, nisi in ligno crucis moriens me au-
 diuisses, digna erat habitare in inferno
 anima mea. Ego pie Iesu sum pars tanti
 precij, pro me fudisti sanguinem tuum pre-
 ciosum, non me refutes.

Da bone Christe mea sic ducam tempora vite,
 Vt mihi sit somnus mors requiesq; mea.

Tu nisi me clemens seruasses optime Christe,
 In ligno moriens victima grata Deo:
 Opprimerer saua periturus tempore mortis,
 Et stygiae sedis perdit a massa forem.
 Sed tua sum precij pars tanti Christe redemptum,
 Desere ne miserum sanguine quæso tuo.

17. IN PICTURAM MARTY-
 rum, qui in palos altis de mon-
 tibus à tyrannis præcipi-
 tati sunt.

Martyras en fixos pro Christi nomine palis,
 Deiectos summi pronos de vertice montis,
 Tam durum quondã Christum fuit esse professum,
 Delicijs, luxu, carnis q₃ libidine multi
 Nunc sibi promittunt spaciosi gaudia cœli.

18. IMAGO VERAE POENI-
 tentiæ in Maria Magdalena.

Luca 7.

Exemplum Maria est verae pietatis imago,
 Magdala de castro qua sibi nomen habet.
 Est pietas, meritam peccati agnoscere pœnam,
 Et veniam culpa poscere ritè Deum.
 Vera fides operum rectorum semper alumna,
 Præstabit fratri munera quæq₃ suo.
 Sic sua cognoscit peccatrix crimina Magdla,
 Offensum crebrò flet q₃ dolet q₃ Deum.

L 4

Odit enim verè iustus peccata nefanda,
 Et castus punit turpia facta Deus.
 Crimina sed tantùm, diuinam agnoscere & iram,
 Interitum menti tristitiamq; parit.
 Non igitur solum meretrix hæc aulica turpes
 Agnoscit lapsus, fletq; doletq; suos:
 Sed fugit ad Christum, fessos agrosq; vocantem,
 Promissa venia subsidioq; p̄s.
 Hunc scelerum veniam poscit, casta oscula figit,
 Et lachrymis sanctos irrigat vsq; pedes.
 Extergit lotos passis verecunda capillis,
 Et Domini grato lenit odore caput.
 Sic quoq; perpetua cumulat sibi dona salutis,
 Quem potuit sceleris pœnituisse sui.

18. MENSÆ BENEDICTIO.

Da tua Christe epulis accedat gratia nostris,
 Et sapiant superas pectora nostra dapes.

19. GRATIARVM ACTIO.

Qui largè corpus potuq; ciboq; refecit,
 Pascat & aeterno pectora nostra cibo.

20. PRECATIO PRO REMIS-
sione peccatorum.

Pœnitet hei toties tua quòd pia numina lesi,
 Sis mihi placatus, te bone Christe precor,

Tu

*Tu donas fessis requiem gratumq; leuamen,
Delicti veniam, qui tibi fudit, habet.
Qui gestas fragilem nostro de corpore massam,
Cura tibi semper verus amorq; sumus.*

21. IRAM DEI ADVERSVS PEC
cata, nemo ipse tolerat.

*Magna Dei contra est peccantes iudicis ira,
Iram quis domini sustinuisse queat?
Sic domini Moses faciem cum cernere querit,
Et summi qua sint interiora Dei:
Non poterit dixit, me coram cernere quisquam,
Cernere non faciem, sed mea terga potes.*

22. OMNIBVS MORIENDVM.

*Incidit in mortem peccando primus Adamus,
Omnibus hinc nobis mors obeunda semel.
Sustulit hanc moriens aeternam filius ipse
Aeterni, immensa pro bonitate, patris.*

23. SOLA FIDES IVSTIFI-
cat atque beat.

*Nullus homo propria virtute meretur ad astra
Scandere, sed saluos nos facit vna fides.*

24. PRECATIO AD
Christum.

L 5

*Gnate Dei tollis mundi qui crimina solus,
Tu nobis clemens conciliato patrem.*

26. SPARTAM NACTVS ES,
hanc orna. contra πολυπραγ-
μοσύνην.

*Quæ tua sunt cures, alienos linque labores,
Exornet Sparta munera quisq; sua.*

27. ARGVMENTVM VERI ET
ineffabilis amoris Dei erga perdi-
tum humanum genus, missio
& mors filij.

*Aeterni dubitas vero de patris amore?
Ipse Dei Gnatus pignus amoris erit.
Hunc pater ex alto clemens demisit Olympo,
Pro nobis fieret victima grata Deo,
Innocuus moritur nostro pro crimine Christus,
Sic grauis æterni tollitur ira Dei.*

28. EVAGRIVS.

Μετάνοια ἀρέσκει θεῷ προηγούμενης πίστεως,
hoc est, pœnitentia placet præeunte fide.

*Impetrat is veniam solius nomine Christi,
Pœnitet errati quem, præeunte fide.*

29. IN DICTVM; IN DOMO
propria rectissimè viuitur.

Aedibus

*Aedibus in proprijs agitur dulcissima vita,
Est vagus econtra quilibet erro miser.*

30. DE BREVITATE VI-
tæ humanæ.

*Disperit vt fumus brêuis hæc ceu bulla q̄ in vndis,
Subsidit multis vita repleta malis.
Scilicet & subito vt lucerna extinguitur ardens,
Flammula sic vitæ non reditura perit.*

31. IN DICTVM SALOMONIS,
penes sapientiam sunt diuitiæ
& gloria.

*Diuitias vitæ q̄ decus sapientia confert,
Sunt spreti atq̄ inopes, qui didicere nihil.*

32. IN FORTVNAM RO-
tæ insistentem.

*Quid fortuna rota insistis, quia mutor in horas,
Vt rota sic voluor pendula in orbe leuis.
Eueho sublimem modò quem Dea, deprimo rursus,
Munera non durant, numen amorq̄ meus.*

33. THEOCRITVS.

εὐσεβέων παίδεσι τὰ λῳία, Δυσσεβέων δ' ὄχι
Et Psal. III. Generationi iustorum bene-
dicetur.

Iustorum

*Iustorum sobolem sequitur benedictio: proles
Iniusti infelix est q̄, manet q̄, patris.*

34. IN DICTVM CRITINAE
ad Pindarum.

*Τῆ χειρὶ δ' εἰσπίρει, ἀλλὰ μὴ ὅλωθι λάκκῳ
Manu serere oportet, non toto orbe.
Est manibus sparsim toto non orbe serendum,
Ut veniant multis semina iacta locis.
Sic dato non vni simul, aut tua munera funde,
Ut possis multos demeruisse tibi.*

35. DE QVADRAGINTA DVO-
bus pueris laceratis à duobus vrsis,
quòd Elisæo prophetæ illuderant
clamantes: Ascende calue, a-
scende calue, 4. Reg. 2.

*Multa docent passim scriptura exempla, petulcos
Pœna que pueros interitus q̄, manent.
His libuit multis memorare ex millibus vnum
Clarum, quod nobis pagina sacra refert.
Iudaicis Vates Helix, æus sanctus in oris
Factis & verbis clarus vbiq̄, fuit.
Hic Iericho celsam Bethel vbi venit in urbem,
Edidit irati signa notanda Dei.
Nam petulans venit cùm pubes obuia Vati,
Vati, quo nullus sanctior orbe fuit.*

Insul-

*Insultans ludit venerandum hac voce prophetam,
 Scandito calue senex, scandito calue senex,
 Hac pius offensus petulanti voce, regeſſit
 Vates in pueros hæc maledicta senex:
 Sis maledicta cohors puerorum talis vbiq̃,
 Ingeris hæc petulans quæ maledicta ſeni.
 Sic ait: & rapidis veniunt duo curſibus vrsi,
 E ſyluis ſæui dente trucesq̃ comis.
 Qui quadragenos lacerant binosq̃ petulcos
 Hos pueros, vindex quæ fuit ira Dei.
 Illudit ſenibus canis quæcunq̃ iuuentus,
 Pro merita pœnas impietate luet.*

36. IN DICTVM PROVER-
biorum 30.

OCulum qui patrem fastidit, & matris
 imperium contemnit, corui iuxta flu-
 mina aquæ effodiant, & filij aquilæ
 comedant.

*Blasphemo carum qui læſerit ore parentem,
 Nec faciet matris iuſſa verenda ſua:
 Illius effodiant oculos ad flumina corui,
 Atq̃ aquilæ pulli viscera tetra vorent.*

37. PRECATIO QVOTIDIA-
na ad Trinitatem.

Ad Deum patrem,

Da

Da mihi quaeso pater vires, da numine sancto
 Hostes da contra leta trophaea meos.
 Sunt hostes, mundus fallax, scuiq; tyranni,
 Est caro, mors tristis, tartareusq; canis.
 Tu nisi sufficias vires, pater optime, nobis,
 Hostibus ab tantis te sine praeda sumus.

38.

AD FILIVM.

Nos tua sustentet de nostra massa precamur,
 Quam geris insertam Christe benigne tibi.
 Tu nisi pro miseris offensum Christe parentem
 Orabis, nostrum quis superesse queat?
 Tam grauis in nostrum est genus ira accensa paren
 Ut nisi tu places, nos perisse velis. (tis,

39. AD SPIRITVM SANCTVM.

Sedibus aethereis nostras precor affice mentes,
 Nosq; tuo afflatu spiritus alme foue.
 Te sine nil sanum, nihil est in mentibus vllis
 Sanctum, quod placeat te sine sancte Deus.

40. ALIA AD CHRISTVM.

Te precor vt viuus nostris in mentibus adsis,
 Et flatu accendas pectora nostra tuo.
 Meq; regas praesens erumnis, optime Christe,
 Et serues saluum perpetuoq; bees.

41. In

41. IN PRECATIONEM DA-
uidis, Psalm. 143.

Spiritus tuus bonus deducet me in terram
rectam propter nomen tuum. Domine,
viuifica me in æquitate tua. Educens de
tribulatione animam meam, & in misericor-
dia tua disperdes omnes inimicos meos, &
perdes omnes qui tribulant animam meam,
quia ego seruus tuus sum.

*Me bonus in rectam ducat, pater optime, terram,
Quo nihil est melius spiritus oro tuus.*

*Cœlestis patriæ longè nunc absumus oris,
In lachrymis multis exilioq; graui.*

*Hic mundus fallax, caro, dæmon atq; Tyranni,
Inuertunt miseris omne salutis iter.*

*Hic nisi nos ducat per deuia spiritus almus,
Ad patrem nostrum nemo venire potest.*

*Hæc ego Christe tuum propter precor omnia, no-
Non meritis si sus iusticiaq; mea. (men,*

**SIMILITUDO DE HAMO PI-
scatorio, quem sicut piscis deuorans in-
terit, ita Sathan filium Dei sub imagine
carnis crucifigens, ipse se occidit, de quo
inquit Beda: In hamo incarnationis Chri-
sti serpens Diabolus captus est, qui
dum in illo appetit escam cor-
poris, transfixus est acu-
leo diuinitatis.**

Interijt

Interijt Sathan tentans occidere Christum,
 Hamo ceu læsus flumine piscis obit.
 Hamus erat natura λόγος diuina potentis,
 Carne sub infirma & sanguine tecta latens.
 Carnis vbi seuis Sathanas hanc appetit escam,
 Hamo letifero piscis vt ictus obit.
 Mortuus autorem mortis Cacodæmona Christus
 Occidit victor, nigrum Acheronta petens.

DE IOANNE HVSSIO MARTYRE, qui combustus est à Pontificijs propter confessionem veræ doctrinæ,
 Constantiæ, Anno Christi
 1415. 18. Iulij.

Hussius exustus papali fulmine sanctus,
 Hoc petijt Martyr cœlica regna die.
 Hanc repetens crebrò vocem sua fata leuabat:
 Tu mihi sis clemens Christe benigne, precor.
 Hussius est vstus Martyr, quo tempore Christi
 Papa canit vates tristia fata tibi.
 Cygnus, ait, surget post annos credito centum,
 Cygnus erit pestis qui tua Papa nocens.
 Pontificis pestis Latij, tu sancte Luthere,
 Annos post centum dogmata vera doces.
 Sanctus erat viuus tua pestis Papa Lutherus,
 Vltima defuncti mors tibi Papa tulit.

In

IN DICTVM C. MARI: VI-
tam edulcare oportet, curasq;
acerbas gubernare.

*Edulca vitam, curas ratione gubernas,
Stultitia est curas accumulare graues.
Vita hominum multis miserorū est plena periclis;
Curis, erumnis, perpetuisq; malis.
Hinc grauat atra fames, morbi, tristisq; senectus;
Territat hinc cunctos mortis imago nigra.
Nil profunt curæ, non hæc mala tollere quisquam;
Quæ pariter cunctis sunt toleranda, potest.
Tu tamen vt tolleres melius ratione gubernas,
Pondus fit leuius, quod ratione feres.
Est Domini magnum solamen, sancta voluntas;
Qui premit humanum tot genus ipse malis.
Qui tibi curarum portum requiemq; beatam
In cælo astrigero gaudia vera dabit.*

DE VITAE HVMANAE IN-
certitudine, breuitate & mi-
feria.

*Vita quid est? labor est & habendi vanâ cupido;
Tristis ad extremum sollicitudo diem.
Labitur ille dies, nescitur origo sequentis,
Sit labor, an requies: sic transit gloria mundi.*

QVIS VERE BEATVS ET
felix.

*Est homo ter felix, est omnia, quisquis in orbe
Confidit Christo fructificante fide.*

*Mortuus hic ducet cum Christo gaudia letus,
Gaudia qua nobis, Christe benigne, dato.*

*Gaudia sunt nullo pereuntia tempore cœli,
Gaudia sunt mundi vana, caduca, nihil.*

*Quicquid ages, tota puer hæc perpendito vita,
Ad q̄ Dei laudem quod facis omne refer.*

*Sit tuus, in vita studijs q̄ sit vnicus omni,
In cunctis Christus sit via, vita, salus.*

P R E C A T I O A D D E V M P A-
trem in versum Psal. 60. Da nobis auxili-
um in tribulatione Domine, quia vana
salus hominis. In Deo faciemus
virtutem, & ipse conculca-
bit hostes nostros.

*Da pater auxilium nobis, pater optime, gnatum
Te petimus, propter, supplice voce, tuum.*

*Te duce, pugnantes faciemus magna, potenti,
Quis poterit dextram contra adyffe tuam?*

D I C T V M T A M E R L A N I S
Tyranni Turcici.

*Turcica erat quondam Tamrlanes gente Tyran-
Nullus quo toto seuior orbe fuit. (nus,*

*Quæsitus tantum, cur nam seuiret in orbe,
Virga ego sum iusti, dixit, in orbe Dei.*

Tempore

*Tempore sic nostro est crudelis Turca flagellum
Mundi, quo punit crimina nostra Deus.*

IN PICTURAM EPVLONIS
diuitis & Lazari pauperis.

Lucæ 16,

*Cogitat immensos cruciatus si quis Auerni,
Est mirum, iustum non coluisse Deum.
Ne flammis, Epulo diues ceu tortus Auerni,
Inter agens fratres excrucière nigros.
In cunctis dominum sanctè venerare Tonantem,
Atq; inopi præsta commoda multa pio.*

PRECATIO PRO DEFENSIO-
ne cœtus scholastici.

*Qui tua cura sumus, pueri, bone Christe prece-
In cunctis miseros nos tueâre malis. (mur,
Morbida ne seuæ ledant nos spicula pestis,
A nobis fiant plurima grata tibi.
Non tibi defunctus merita præconia laudis,
Non nostrum quisquam carmina grata, canet.
Non tua commemorant vitali lumine cassi
Facta, nec inferna te colit aula domus.
Ad te confugimus, tua numina poscimus omnes,
Da nostras aliquod pondus habere preces.*

IN PICTURAM PROMVLGA-
tionis legis, Exod. 20.

M 2

*Sic est terrifica domini lex edita voce,
Horrendos ignes inter sonitusq; tubarum,
Territus his populus mortem metuebat & orcum,
Territat, occidit, sic lex operatur & iram.*

DE MANNA, EXOD. XVI.

*Pascitur hic populus cœlestis munere roris,
Panibus ut noscat non solum viuere quenquam,
Sed verbo Domini, prodit quod ab ore Tonantis,
Quem nobis panem Deus ut des alme precamur.*

DE SERPENTE AENEO,
Numeri 21.

*Erigit ut Moses serpentem clarus in altum,
Quem qui spectabat, licet à serpentibus esset
Ignitis laesus, non tetra venena nocebant.
Sic Christum aspectans, dira non morte peribit.*

DE NATIVITATE CHRISTI
humana. Lucæ 2.

*Nascitur etherea demissus ab arce, parentis
Filius aeterni, virgine verus homo.
Quo sibi nos miro sociavit fœdere iunctos,
Naturæ ut simus portio sancta sue.*

DE RESURRECTIONE
Christi,

Hic

*Hic Erebi victor Christus de morte triumphat,
Hac Stygio insultans rediuiua voce draconis:
Sic draco, sic nostris pedibus subiecte iacebis,
Ne noceas vllis, nostro qui numine fidunt.*

IN IMAGINEM HOMINIS
peccatoris.

*Aspice, quæ facies hominis, quæ fors quæ dolenda,
Quæ mors, quæ dæmon, quem sua culpa premit.
Effugit hæc solus mentem qui vertit ad agnum
In cruce qui pendet victima grata Deo.*

IOSVA, IVDICVM II. PRI-
mus dux populi Israëlitici,

*Iudico dux Iosue populum sex lustra duo quæ, 46.
Anni sunt centum deni & mihi tempora vite, 110.
Commissum duxi populum per Iordanis vndam,
In terram Canaan, quæ lacte & melle fluebat.*

DAVID II. REGVM II.

*Rex populum David decies rego quattuor annos, 40.
Addito triginta, & vite sunt tempora nostre, 70.
Rex vnctus, Goliath truculentum cædo Philistin
Hostibus euictis, post regno pace quietæ.*

IVDAS MACHABAEVS.

*Acer ego Antiochi Iudas Machabæus atrocis
Vires diuino perfregi robore fortis.*

*Gentem defendo sanctam, templumq₃ repurgo,
Sexto, hostem contra pugnans cado fortiter, anno.*

DE SAMSONE, QUI LEONIS
catulum occidit, in eiusq₃; cadauc-
ris ore mel dulcissimum in-
uenit. Iudi. 14.

*Occidit catulum, contracta fauce, leonis
Diuina Samson fortis & auctus ope.
Post redijt catuli visurus fortè cadauer
Occisi, auxilio presidioq₃ Dei:
Inuenit hic putri spectans examen in ore,
Dulcis & Hyblæi fragmine mellis opus.
Samson est Christus, Sathanas est atq₃ leonis
Occisus catulus, viribus ille Dei.
Fragmina quæ mellis sunt dulcia in ore leonis,
Designant domini suauia donâ Dei.
Vicimus in domino Sathanam seuumq₃ leonem,
Dulcior est quouis gratia melle Dei.*

IN IMAGINEM CHRISTI PRE-
mentis Draconem tartareum.

*Sic Draco sic nostris pedibus prostrate iacebis,
Ne noceas vllis qui mea iussa tenent.
Latus ego mundi Sathanae mortisq₃ resurgo
Victor, sub nobis iam Draco saue iaces.*

IN DICTVM VETVS PIO-
rum Germanicum.

Ich wil mich hin legen schlaffen/
Vnd mich auff Gott verlassen/
Wenn mich der Todt jetzt beschleiche/
So komme Christus von Himelreich/
Der mir das Leben hat gegeben/
Der wirt meines Leibes vnd Seele pflegen.

*Nunc ego depono dulci mea membra quicte,
Est Deus in cunctis spes mea certa malis.
Lurida si miserum me mors inopina necaret,
Spes mea de caelis tu mihi Christe veni.
Qui mihi prima dedit vitæ primordia Christus,
Hic animam & corpus curat amatq; meam.*

IN DICTVM ESAIAE LXIII.
Tu domine pater noster es. Nos lutum
tuum. Tu formasti nos, opera
manuum tuarum sumus,
ne irascaris valdè.

*Tu pater es noster clemens, formator & autor,
Infirmi & miseri nos tua massa sumus.
Nos tua formavit sanctos, pater optime, dextra,
Sed propria culpa massa cruenta sumus.
Ah pater vt patria nostri bonitate misertus,
Ira ne laxes te rogo frena tua.*

M 4

IN DICTVM IVLIANI IVRIS-
 confulti: Si alterum pedem haberem
 in Charontis cymba, tamen
 discere velim.

*Vnam si teneat plantam mihi cymba Charontis,
 Sit q̄, mihi hac hora mors obeunda breui:
 Attamen extrema quorum sim nescius, hora
 Mortis, si possem, discere & illa velim.*

IN DICTVM VESPASIANI: EGO
 cū nihil faciam dignum, propter
 quod contumelia afficiar, men-
 dacia nihil curo.

*Cū nihil admittam culpando crimine dignum,
 Non ego vaniloqui crimina curo viri.*

ESAIAE LI. NE METVAS
 probra.

*Ne metuas hominum quicquam maledicta malo-
 Cū sceleris non sis conscius ipse tibi. (rum,*

VERBIS COENAE DOMINI
 simpliciter credendum.

*Non ratio hac humana capit mysteria cæca,
 Sola Dei ex verbo quæ capit ipsa fides.
 Ergo decet verbo Domini, non fidere glossæ,
 Vt tua vox præstans inclyta Ebere docet.*

Non

*Non fallit textus, multos speciosa sefellit
Glossa: Dei verbo nitere, tutus eris.*

DE SVGGESTO ARCTO BOS-
suini in ducatu Megapolensi.

*Si locus hic quæris se cur sic ducat in arctum,
Ad cælum ducens non via lata patet.
Et premit in mundo cunctarum angustia rerum
Doctorem, rectè qui pia verba sonat.*

QVIS PASTOR BEATVS.

*Qui sibi non Nimroth, Abrahã, non atq; Naaman
Pastor habet, nimium hunc tu dicas esse beatum.*

*Hoc est, qui non habet Tyrannum, qualis fuit
Nimroth, non superstitiosum, quales fuerunt Iu-
dæi, quorum pater fuit Abraham, & non egrotan-
tem, qualis fuit Naaman Syrus leprosus.*

DE LVNAE PER SOLEM IL-
lustratione, eiusq; typo ad Chri-
stum Solem iustitiæ.

*Phœbus in astrifera nitidus regione sororis,
Luce sua Phœbes corpus inane replet.
Perq; vices spargit certas, certasq; reducit,
Cedentes radios quos dedit ante suos.
Principio parua est, media est post, cornua replet,
Quoq; venit Phœbes ordine lumen abit.*

Clariore est facies, nunc est obscurior illa,
 Ut frater Phœbe lumina certa dedit.
 Lumina quæ Phœbus dederit nisi clara sorori,
 Phœbeum lucis corpus inane foret.
 Sic nisi iustitiæ sol in te, Ecclesia, Christus,
 Notitiæ radios sparserit ipse suæ:
 Manseris in densa cæca caligine mentis,
 Expers saluifica cognitione Dei.
 Ergo tuæ radios in nos tu spargito lucis,
 Ut tua noscamus munera, Christe, rogo.
 Noscere te patremq; tuum, sapientia summa est.
 Quæ sine quid prodest omnia scire? nihil.

DE TURCA.

Delet Apostolicos Machomet, vatūq; sacrorum
 Blasphemo sanctos impius ore libros.
 Vocibus horrendis Christum blasphemat & odit,
 Aeterni gnatum quem negat esse Deum.
 Cultibus externis, quorū pars maxima stulta est,
 Promittit vanus cœlica regna sibi.
 Corpora coniugibus miscet sine lege petitis,
 Ducens, abijciens quam sibi cunq; cupit.
 Omnia deuastat, vastator nomine dictus,
 Nil hostis iusti, nil pietatis habet.
 Hoc agit, hoc tentat, prædando Turca per orbem,
 Imperio ut teneat cuncta subacta suo.
 Non hominum vincet Turcam vis vlla potentem,
 Vincet sed solus filius ipse Dei.

Incl-

Inclytus hoc nuper Comes est fortissimus Heros
 Expertus Syrin, cum cadit ense Scythæ.
 Cum cadit ense Scythæ propugnans mœnia Sigeth
 Pro patria occumbit fortiter ipse sua.
 Est quia tanta Scythæ crudelis seua potestas,
 Non vis hunc hominis vincere vt vlla queat:
 Hunc tu Gnate Dei crudelem pelle Tyrannum,
 Seuus te contra bella cruenta gerit.
 Inclytus hunc Cæsar, duce te, milesq; repellat
 Christiadam profugum fortis ab orbe procul.

AENIGMA, EIVSQUE

solutio.

Cruæ animas plures quàm Cœmiteria mittit
 Astrigeri ad cœli culmina clara piæ.
 Spiritus excessit functi iam latus Olympum,
 Euolat ad cœlum de cruce latro pius.

QUI FUIT MISER, MISERORUM
 sorte afficitur.

Non didicit felix miserorum sorte moueri,
 Subleuat hic miserum qui miser ipse fuit.

CHRISTVS ASCENDENS

in cœlum.

Dæmonis & mortis victor, ceu Christus ad astra
 Iubila per scandit voce sonante Dei.

Cuncto.

*Cunctorum iudex sic est rediturus ab alto,
Angelici astantes ut retulere viri.*

*Cum venies iudex nobis bone Christe, precamur
Gaudia des regni non peritura tui.*

CHRISTVS.

*En superas scando caelorum victor ad oras,
Captiuam ducens, mecum quae multa iacebat
Sedibus in Stygijs sanctorum vinceta, cateruam.
Huc quoque vos ducam mihi qui credetis in orbe.*

ANTIPHONA IN DIE OMNI-
um Sanctorum: O quam gloriosum est
regnum, in quo omnes sancti gaudent
cum Christo, amicti stolis albis se-
quuntur agnum quocunq;
ierit, Apoc. 14.

*Aetherei o quanta est caelestis gloria regni,
Gloria, quae iustos non peritura manet?
Omnes quo sancti cum Christo semper in arce
Aetherea laeti gaudia leta canunt.
Atque stolis albis agnum comitantur amicti,
Agnus quo tantus fertur, refertur pedem.
Agnus per mortem caeli penetrauit in arcem,
Per mortem sancti caelica regna petunt.
Hac me sustentat miserum spes vnica Christe,
Massam quod nunquam deseris ipse tuam.*

Solus

*Solus es in cunctis spes nobis certa periclis,
Orbis & hic totus cum ruiturus erit.*

GRATIARVM ACTIO POST
sumptionem corporis & sanguinis
Christi in cœna eius.

*Laus tibi summe pater, gnati quodd corpore pascis
Sanguine defessos nos reficisq; tui.
Da pater in cunctis cibus hic potusq; saluber
Aerumnis seruet nos recreetq; malis.*

DICTVM CHRISTI IOANNIS

8. Amen Amen dico vobis, si quis ser-
monem meum seruauerit, mor-
tem non videbit in æ-
ternum.

*Qui mea cunq; pius seruabit verba, videbit
Non vnquam mortem post sua fata grauem.
Est mea mors vitæ cunctis cœlestis origo,
Est mea mors pauidis spesq; salusq; pijs.
Morte λῦτρον solui, vitam mea vitæ reduxit,
Mortuus hic vitam qui mihi fudit habet.*

DICTVM IOAN. III. NEMO A-
scendit in cœlum, nisi qui descendit de
cœlo, filius hominis, qui est in cœlo. Et si-
cut

cut Moses exaltauit serpentem in deserto,
 ita exaltari oportet filium hominis, vt om-
 nis qui credit in eum, non pereat, sed
 habeat vitam æternam. Sic enim Deus di-
 lexit mundum, vt filium suum vnigeni-
 tum daret, vt omnis qui credit in
 eum non pereat, sed habeat
 vitam æternam.

*Non hominum quisquam spaciosi culmina cœli
 Scandere, qui toto viuit in orbe, potest.
 Filius hæc hominis, claro qui venit Olympo,
 Quiq; agit in cœlis, solus adire potest.
 Huic hominis gnato quisquis confidit, & ipse
 Hac scala, vt gnatus, cœlica regna petet.
 Nam velut in vasta serpentem extollit eremo
 Moses, quo viso destitit atra lues :
 Sic hominis ligno Gnatus tollatur & ipse
 Est opus, & fiat victima grata Deo.
 Quisquis vt hoc fudit cœlestis nomine Gnati,
 Is teneat vitæ gaudia læta fide.
 Tam Deus ardenti mundum dilexit amore,
 Vnigenum vt Gnatum cœlitus ipse daret.
 Ne pereat quisquam credens hoc nomine gnati,
 Ast habeat vitæ gaudia longa sibi.*

ROMA. VIII, SI DEVS PRO
 nobis, quis contra nos?

*Si Deus est summus pro nobis nosq; tuetur,
 Quod poterit contra nos valuisse malum?*

Qui

*Qui proprio haud parcit gnato, sed tradidit illum
Pro cunctis λύτρον fiat vt ille patri.*

*Qui non cum Gnato nobis donaret eodem
Omnia, qui gnatum, gaudia summa, dedit?*

*Quisue Dei electis intentet crimina? quisue
Condemnet iustos, quos habet ipse Deus?*

PHILIPPVS MELANTHON
in Ecclesiast. Regula vitæ.

CVM humani conatus sine Deo irriti
sunt, tantum facias mandata diuinitus,
& petas vt ipse te regat & adiuuet. Vult
enim adiuuare seruietes in vocatione & in-
uocantes ipsum. Vt Psalm. 16. inquit: Com-
menda Domino viam tuam, & ipse faciet.

*Est hominũ magnus quamuis labor irritus omnis,
Cũ non successum fouerit ipse Deus.*

*Ergo tibi Dominus facito quæ iusserit, atq;
In cunctis petito, te regat atq; iuuet.*

*Nanq; iuuat, rectè peragunt qui munia vitæ,
Inq; uocant cunctis ad sua fata Deum.*

*Cuncta tuæ manda Domino conamina vitæ,
Et faciet dominus prospera quæq; tibi.*

DICTVM D. BERNHARDI IN
agone mortis: Perdite quidem vixi, sed
Dominus meus Christus duplici iure cœ-
lum

lum possidet, & quia filius est, & quia in
cruce moritur, Altero contentus,
alterum mihi donat.

*Perdita traduxi dura mea tempora vita,
Vnica sed misero hæc spes mihi certa manet.
Quod duplici Christus cælum de iure Redemptor,
Possidet & regni gaudia læta Patris.
Natus ab æterni primùm est qui mente parentis,
Deinde quod emeruit regna beata cruce.
Contentus primo cælum quod possidet hæres,
Quod meruit donat ius mihi morte Deus.*

DE ECCLESIA FLUCTVANTE
inter varias ærumnarum & peri-
culorum procellas.

*Christiadum sæuis agitur cymba procellis,
Cædibus, exitio, fulmine, peste, fame.
Hanc nisi tu serues agitatam Christe benigne,
Fluctibus in tantis non superesse potest.
Ergo tuam cunctis cymbam seruato periclis,
Ne pereant cætus quos vehit illa pios.*

PRECATIO AD CHRISTVM,
Philip. Melan. Lucæ 24.

*Vespera iam venit, nobiscum Christe maneto,
Extingui lucem nec patiare tuam.*

AD